Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 215
Quelle:
Copyright:

Psalmos charat. Longob. 1180. a tempo di Pietro Diacono. Ut vero *Petrus* hic *Cassinensis* ipse testetur *Chron. Cass.* L. IV. *c.* 68. scripsisse se *Scholia in Vetus Testamentum*, vivendo tamen annum supra dictum vix adtigit, Scripturaeque *Langobardicae* nitor major videtur, quam ut Seculo XII. tam prope finem spectanti adtribui possit. Neque vero inde magis Autorem horum *Scholiorum* indicare valeo, nisi is *Petrus* sit, consultis in cassum paene omnibus, quae in *Psalterium* literis consignata ad nos pervenere. Ut Lectori arbitrando locus sit, en *Psalmum* XIV. cujus Argumentum miniatum ita habet: *Vox prophetę agentis per similitudinem. Quemadmodum dux alicujus imperatoris videns exercitum domini sui congregatum interrogat dominum quis esset in militia ut tandem esset in aula. Eodem modo propheta videns multos conuenire ad sacramenta ecclesię interrogat dominum. quis esset hic in militia ut tandem requiescat in celesti aula et propter hoc interrogat quia uult soluere.* Psalmus ipse: Domine quis habitabit *hic* in tabernaculo tuo. *i. in militia tua. i. in ecclesia tua.* quis requiescet in monte sancto tuo. *i. in christo? modo solum subaudis ille.* Qui ingreditur sine macula. *i. criminali peccato.* et *qui* operatur justitiam. Qui loquitur ueritatem *non solummodo in ore. sed etiam* in corde. qui non egit dolum in lingua sua *ad proximum.* Non fecit proximo suo malum. et obprobrium non accepit aduersus proximum suum. *Sed potius.* Ad nichilum deductus est in conspectu ejus malignus *i. detractor. uel diabolus.* timentes autem dominum glorificat. *i. magnificat.* Qui jurat proximo suo et non decipit. *quia licet jurare in humanis actibus, sed non pejerare.* qui pecuniam suam non dedit ad usuram. et munera super innocentem non accipit. *ut nocentem faciat superiorem innocente.* Qui facit hęc non commouebitur in ęternum. *i. ille erit hic in militia. et tandem in palatio.* Ita Beda in hunc Psalm. *Qui digne militabit in hoc tabernaculo, aeternaliter gaudebit in coelesti palatio*, et Remigius Antissiod. *Ille habitabit in tabernaculo, et post requiescet in palatio.* Hos ergo Scriptores Sec. VIII. et IX. prae se habuisse videtur Scholiastes noster, cujus initium, ut dixi, situ evanuit, finis vero est: *omnis spiritualitas sit uobis materia laudandi dominum. i. consideratione omnium spiritualium uirorum laudate dominum.*

CXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. E. 2
Folior. 264. 4. manu difficili, multisque literarum compendiis perscriptus, rubricis tamen enotatus, et olim oblatus Principi *Eugenio de Sabaudia* a *Leibnitio* continet *Commentaria* succincta in *Psalterium*, et reliqua *Cantica Biblica* cum Hymno *Ambrosiano*, Symboloque dicto *Athanasii* decerpta potissimum ex utraque *Glossa* et *Nic. Lirani* Postillis. Primis tamen 2. Foliis adscripta est Fabula